

hujusmodi imposterum abstinere debeant; in contravenientes porro praeter committendorum damnorum bonificationem, parti laesae praestandam, praeterea aliter severe animadvertisetur.

*De metarum inter vicinas provincias, ita et dominium Csaktornya rectificatione.*

**A rticulus 35.**

Justum esse agnovit Sua Majestas Sacratissima: ut ad tenorem articuli 53. An. 1741. in eodemque citatorum Art. 39. An. 1715. et Art. 17. An. 1723. inter Regnum et vicinas Styriae et Carnioliae provincias, quemadmodum et pro conformitate articuli 116. An. 1715. inter Regnicolas et Dominium Csaktornya jam a tot annis vigentibus metalibus controversiis medio comissariorum, ex parte quidem Suae Majestatis Sacratissimae per eandem Suam Majestatem Sacratissimam; ex parte vero Regni Croatiae et Sclavoniae per Dominum Comitem Banum, et Status ac Ordines eorundem Regnorum denominandorum finis tandem imponatur; in id autem connitendum, ut minoribus, quo fieri poterit, sumptibus id fiat. Quoad decimas districtus Metlike Capitulo Zagabriensi tenore citati Articuli 53. An. 1741. hic loci confirmati restituendas, accepta uberiore desuper informatione, regiam Suam assidentiam clementissime resolvit Sua Majestas Sacratissima.

*De Judicatu comitatensi etiam in causis supremorum et vice-comitum activis et passivis, secundum tenorem articuli 35. anni 1729. in Regnis quoque Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae observando.*

**A rticulus 36.**

In luculentum caesareo-regiae benigitatis argumentum annuit clementissime Sua Majestas Sacratissima: ut in Regnis quoque Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae in causis supremorum et vice-comitum activis et passivis, forum comitatense respicientibus, non amplius Tabula Regnorum illorum Judiciaria, verum pro tenore articuli 35. anni 1729. vice-comites comitatuum et respective judices Nobilium procedant, procedendique facultatem habeant.

*De infrascriptis militarium abusibus moderandis et educillis per eosdem, prout et alios infrascriptos officiales non servandis.*

**A rticulus 37.**

Circa extraordinarias in confiniis Gradiscano, Brodensi, Danubiali et Savano per officiales militares introductas et ab animalibus, curribusque incassari solitas, miseramque contribuentem plebem gravantes exactions, accepta praevie informatione, pro justo et aequo sese resoluturam; quemadmodum et constituto con-